

pisjaur; *Onoclea Struthiopteris*, etc. E contrario in Lappo-
 nia Tornensi ceterisque Lapponiæ vel Finmarkiæ orientalis
 regionibus, quibus alpium jugum paullatim sese ad planitiem
 demittit, enascuntur plantæ magis apricoriæ atque campe-
 stres ex. gr. *Veronica longifolia*; *Polemonium cœruleum*;
Saxifraga Hirculus; *Sonehus sibiricus*; *Carex laxa*, ce-
 teræque ejusdem generis, quas in Lapponiis australioribus
 frustra quaeras.

§. 3.

Quæ sit autem efficacia solis inoccidui, vel exinde
 colligitur, quod coralla florum in septentrione, ut supra
 ostendimus, amplior obtingat, nec non saturatius colorata;
 quod tamen in speciminibus exsiccatis minus lucide
 apparet.

Hinc plantarum variæ formæ, vel etiam species existi-
 tere; ex. gr. *Veronica serpyllifolia*, var. *borealis*: floribus,
 fere ut in *Ver. saxatili*, grandefactis, eximie cœrule-
 scentibus; quæ planta alias floribus parvis atque pallidis l.
 lactescentibus legitur. Quod autem tota planta his regio-
 nibus depressa sit, et undique pubescens, capsulis quo-
 que obcordatis, quum vulgo reniformes sint: aliis de cau-
 sis fieri potest, de quibus mox plura dicemus.